

AEMILIVS PIOVESAN

QVID DE PACE  
SANCTVS AVGVSTINVS CENSEAT

EX I LIBELLO COMMENTARIORVM  
QVI LATINITAS INSCRIBVNTVR  
MENSE IANVARIO A. MCMLXXIII EDITO

## QVID DE PACE SANCTVS AVGVSTINVS CENSEAT

Pacem, *summum bonum Dei*<sup>1</sup>, in plurimis operibus suis fusius pertractat Augustinus, cuius verba peropportune sonant praesertim diebus nostris tam aerumnosis, cum pax ipsa, pro dolor, a multis negligitur, turbatur, immo vero excluditur. Nam tam instabilis nobis ipsa apparet, ut corda nostra saepe magno afficiantur dolore.

At nunc tantam rem Sancti Augustini verbis attendamus. *Pax quid est?*<sup>2</sup>. Quid sit pax, secum ipse quaerit Episcopus Hipponensis, atque ita definit: *Pax omnium rerum tranquillitas ordinis*<sup>3</sup>. Quam sententiam his verbis illustrat: *Pax corporis et animae, ordinata vita et salus animantis. Pax hominis mortalis et Dei. Pax hominum, ordinata concordia. Pax civitatis est ordinata imperandi atque oboediendi concordia civium, ordinatissima scilicet et concordissima societas*<sup>4</sup>. Urget autem divus Doctor: *magnum beneficium est pax, sed Dei veri beneficium est*<sup>5</sup>. Ipsa enim *vinculum est sanctae societatis, compago spiritualis, aedificium de lapidibus vivis*<sup>6</sup>. Vbinam gentium invenitur pax? Caritate motus: *Vbi nullum bellum est, ait, ubi nulla est contradictio, ubi nihil resistit, nihil adversus est*<sup>7</sup>. *Sola quidem pax habenda atque dicenda*<sup>8</sup>.

<sup>1</sup> *De Civitate Dei*, lib. XIX, cap. 20; PL. XL, 648.

<sup>2</sup> *Enarratio in Psalmum LXXXIV*, n. 10; PL. XXXVII, 1075.

<sup>3</sup> *De Civitate Dei*, lib. XIX, cap. 13; PL. XLI, 740.

<sup>4</sup> *Ib.*

<sup>5</sup> *De Civitate Dei*, lib. III, cap. 9; PL. XLI, 84.

<sup>6</sup> *Enarratio in Psalmum CXLIX*, n. 2; PL. XXXVII, 1949.

<sup>7</sup> *Enarratio in Psalmum LXXXIV*, n. 10; PL. XXXVII, 1075.

<sup>8</sup> *De Civitate Dei*, lib. XIX, cap. 11; PL. XLI, 637.

### *De bono pacis*

Postquam pacem, qua *nihil possit melius inveniri*<sup>9</sup>, presse atque anguste definit, Sanctus Antistes, amore flagrans, breviter perstringit atque illius enumerat beneficia: *Quid agit pax? De incertis non iudicat, incognita non confirmat; proclivior est ad bene credendum de homine, quam ad male suspicandum. Non se multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo: perniciose autem, cum male sentit forte de bono*<sup>10</sup>. Pergitque: *tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus, nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci*<sup>11</sup>.

Fundamentum pacis, de pacis condicionibus declarat Augustinus, est amor: *Sine caritate nulla pax est*<sup>12</sup>: caritas nempe in Deum atque in homines, fratres omnes nostros. Sine amore, heu, pax oriri nor potest in terris. Nam *quamdiu vitiis imperatur, plena pax non est*<sup>13</sup>. *Non transit ad summam pacem, nisi qui prius cum suis vitiis belligeravit*<sup>14</sup>. Ergo extirpemus de cordibus nostris omnia vitia et habebimus *veram pacem, plenam pacem, solidam pacem, securam pacem*<sup>15</sup>, *quam his habere possunt homines tantis resistentibus molestiis, cupiditatibus, indigentibus, lassitudinibus*<sup>16</sup>. *Cupimus quidem etiam hoc bello [non] carere, et ad capessendam ordinatissimam pacem*<sup>17</sup>.

### *De amanda pace.*

Cum caritas et pax minime seiungi possint, ergo *de pace et caritate loqui semper debemus*<sup>18</sup>, immo vero *omnis piae nostrae intentionis actionisque fines ipsa sit*<sup>19</sup> atque *omnium desideriorum bonorum*<sup>20</sup>. *Propter hanc omnem tribulationem fortiter sustineamus, ut in hac feliciter sine ulla tribulatione regnemus*<sup>21</sup> in Domino, qui *ipse est pax*<sup>22</sup>, atque in

<sup>9</sup> *De Civitate Dei, lib. XIX, cap. 11; PL. XLI, 637.*

<sup>10</sup> *Enarratio in Psalmum CXLVII, n. 10; PL. XXXVII, 1924.*

<sup>11</sup> *De Civitate Dei, lib. XIX, cap. 11; PL. XLI, 637.*

<sup>12</sup> *Enarratio in Psalmum CXXVI, n. 13; PL. XXXVII, 1685.*

<sup>13</sup> *De Civitate Dei, lib. XIX, cap. 27; PL. XLI, 657.*

<sup>14</sup> *Enarratio in Psalmum IX, n. 8; PL. XXXVI, 121.*

<sup>15</sup> *Sermo CLXVIII, n. 2; PL. XXXVIII, 912.*

<sup>16</sup> *Enarratio in Psalmum LXXXIV, n. 10; PL. XXXVII, 1076.*

<sup>17</sup> *De Civitate Dei, lib. XXI, cap. 15; PL. XLI, 730.*

<sup>18</sup> *Sermo CLXVIII, n. 2; PL. XXXVIII, 912.*

<sup>19</sup> *In Johannis Evangelium, cap. 17; Tract. CIV, n. 1; PL. XXXV, 1901-1902.*

<sup>20</sup> *Sermo CLXVIII, n. 2; PL. XXXVIII, 912.*

<sup>21</sup> *In Johannis Evangelium, cap. 17; Tract. CIV, n. 1; PL. XXXV, 1902.*

<sup>22</sup> *Enarratio in Psalmum CXXIV, n. 10; PL. XXXVII, 1656.*

Christo, qui venit in hunc mundum, ut omnes homines pace fruerentur. Nam *Christus Filius Dei pax est*<sup>23</sup>. Sanctus Ecclesiae Pater his verbis nos exhortabatur: *Amate pacem, amate Christum. Si enim [homines] amant pacem, Christum amant*<sup>24</sup>. Paci tota bona voluntas nostra danda sit, ut hominibus inenarrabile hoc donum conferatur: *pacem habere debet voluntas. Non enim pax quaeritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax adquiratur*<sup>25</sup>. *Quaerite pacem*<sup>26</sup>, fratres mei, ait, *pacem amate et diligite, ipsam sectamini, ipsam desiderate, ipsam in domo, ipsam in negotio, ipsam in uxoribus, ipsam in filiis, ipsam in servis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligite*<sup>27</sup>.

Tanto Augustinus pacis amore flagrabat, ut, cum de pace loquebatur, summum ardorem multitudini christifidelium., qui ad audiendum eum conveniebant, iniceret. Nam olim cum verbum *pacem* contenta vehementique voce pronuntiavisset, adstantes, intenti omnes ad verba illius percipienda, fremuerunt et multiplices plausus ei dederunt, simul ac pacem dixit. Tunc a lacrimis cum temperare non posset, divus ille ita: *Quomodo - inquit - exultastis omnes! Pacem amate, fratres mei. Multum delectamur, quando clamat de cordibus vestris pacis dilectio. Nihil dixeram, nihil exposueram, verbum pronunciai, et exclamastis*<sup>28</sup>.

#### *Beati pacifici.*

Si veram pacem diligimus, sicut Christus, animorum nostrorum summa atque perpetua pax, nobis praecepit; si cordi summopere eadem nobis est, amemus atque honoremus illos, qui cotidie laborant ac strenue nituntur ad concordiam pacemque reconciliandam. O ter quaterque beati, qui pacem inter nationes et gentes coagmentant! Ipsi *omnes animi sui motus componentes et subicientes rationi, id est menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes adomitas, fiunt regnum Dei*<sup>29</sup> in terris. *Beati pacifici, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum et ipse obtemperet Deo*<sup>30</sup>.

<sup>23</sup> *Ib.*

<sup>24</sup> *Enarratio in Psalmum CXIX, n. 9; PL. XXXVII, 1605.*

<sup>25</sup> *Ad Bonifacium, Epistula CLXXXIX, n. 6; PL. XXXIII, 856.*

<sup>26</sup> *Enarratio in Psalmum XXXIII, Sermo II, n. 19; PL. XXXVI, 319.*

<sup>27</sup> *Enarratio in Psalmum CXLVII, n. 15; PL. XXXVII, 1923.*

<sup>28</sup> *Enarratio in Psalmum CXLVII, n. 15; PL. XXXVII, 1923.*

<sup>29</sup> *De sermone Domini in monte, lib. I, cap. II, n. 9; PL. XXXIV, 1233.*

<sup>30</sup> *De sermone Domini in monte, lib. I, cap. II, n. 11; PL. XXXIV, 1233-1234.*

*Hymnus ad pacem*

*O pax, Dei aedificium, tu contenta in cunctis, tu ditior universis, tu homines Dei filios facis.*

*O pax, sine te reges non regunt, sine te regna non valent.*

*O pax, tu mentis serenitas, tu tranquillitas animi, cordis simplicitas,  
amoris vinculum, caritatis consortium.*

*O pax, qui te habet, teneat te; qui te non habet, te perquirat; qui te  
perdidit, te requirat.*

*O pax, tale bonum es in rebus creatis, tam mirificum, tam gloriosum, quod nihil dulcius solet audiri,  
nihil delectabilius concupisci, nihil utilius possideri<sup>31</sup>.*

<sup>31</sup> *Ps-August., Sermones ad fratres; Sermo II; PL. XL, col. 1238.*